

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Dissertatio Theologica De Baptismo Spiritus Et Ignis, Ad Locum Matth. III, vers. 11.**

Herbornæ: Typis Joannis Nicolai Andreæ, [1703?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862996422>

Druck    Freier  Zugang






94

Fa-1092(94.)





31.  
30.  
2  
29.  
28.  
27.  
26.  
25.  
24.

A. D.  
*Dissertatio Theologica*  
DE  
**BAPTISMO SPIRITUS**  
**ET IGNIS,**

AD LOCUM  
MATTH. III. VERS. II.

QUAM

Ex eis quod deinceps non solum

PRÆSIDE

**JOHANNE CHRISTIANO**  
**KIRCHMEJERO,**

SS. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE PROFESS.  
ORD. ET ECCLESIAE PASTORE.

IN

**ACADEMIA HERBORNENSI,**

A. D. XIII. MARTII, CL IO CCIII.

PUBLICE DISCVTIENDAM

CONSCRIPSIT

**CAROLUS LUDOVICUS VESU,**  
Palatino-Heidelbergensis,



HERBORNÆ, TYPIS JOANNIS NICOLAI  
ANDREÆ.

28.

VIRO

PLURIMUM REVERENDO EXCELLENTISSIMO  
CLARISSIMO

DN. JOHAN. CHRISTIANO  
KIRCHMEJERO,

SS. Theologiæ Doctori, Ejusdemque  
in Academia hacce Herbornensi Pro-  
fessori Ordin. Celeberrimo, ut &  
Ecclesiæ quæ ibidem Deo est colle-  
cta Pastor Vigilantissimo, Facundis-  
simō, Præsidi Gravisimo, Patrono ac  
Præceptorī suo Fidelissimo, omni  
honoris ac reverentiæ gene-  
re colendo

*In debiti honoris ac obsequiis  
nuptiis hæc laborum pri-  
mitias offert & exhibet*

Author.



Dissertatio Theologica  
De  
*Baptismo Spiritus & ignis,*  
*Matth. III. Vers. 11.*

§. I.

Uod in rebus quæ spectant cultum Dei Introit. 1  
 homines plerumque externis tantum  
 soleant adhærere ritibus & ceremoniis,  
 non est cur miremur , siquidem cum  
 unusquisque naturā concupiscentiis sit  
 deditus , ab altera autem parte sive ex  
 stimulis conscientiæ , sive verbo Dei  
 revelato ad colendum & placandum Deum sentiat se obli-  
 gatum , nihil proclivius est , quam ut talem sibi eligat cul-  
 tum , qui in externis corporis exercitiis consistit , cor autem  
 pravum , peccati & concupiscentiarum nidum intactum  
 relinquit ; ex hoc fonte olim omnis superstitione ἡθος  
 θρησκεία Gentilium , ritus fide vacui Judæorum , πεισμονήτε  
 σώματος Pontificiorum , atq; omnis hypocrisis in quacunq;  
 religione irregenitorū profluxerunt . At vero quām comu-  
 nis , tam periculosa est hæc via , qua non tantum Deus , ipsi-  
 usq; Spiritualitas & cæteræ virtutes abnegantur , sed & pec-  
 cator in ignorantia , impietatis & miseria tenebris detine-

A 3

tur ,

tur, quin & opinione meritorum suorum turgidus adeò securus redditur, ut in statu suo acquiescens de salute ex falsa persuasione tutus ne quidem miseriam suam agnoscat, aut de veriori salutis medio sibi prospiciat. Matthæi 7. 22. Jes. 58. 2. Luc. 18. Hinc S. Script. & omnes pii Doctores qui hoc sibi negotium datum esse crediderunt, ut ab hac periculosisima via homines avocarent, toties de natura Dei Spirituali salutisque medio illi convenienti eos instruunt. Jes. 1. Mich. 6. 6. 7. 8. Rom. 12. atque judicio in hypocritas illos severissimo monent. Jes. 58. Psal. 51.

## Textus.

II. Evidens hujus rei exemplum præbet Johannes Baptista, quando Matth. III. vers. 11. Sadducæis & Pharisæis turmatim ad baptismum ejus venientibus dicit: 'Autòς ἡμᾶς βαπτίζει εἰς τὸν νεύματον ἀγίων νευρῶν:

## Connexio.

III. Quum enim ipse ceu prodromus Christi mis-  
sus esset, ut reducendo corda filiorum ad corda patrum vi-  
am pararet Jehovæ, atque eum in finem publico hoc mu-  
nere, Christo mox apparituro, & officium suum orsuro  
fungens corruptissimum Judæorum statum per locum de-  
serti, in quo prædicabat ob oculos poneret. vers. 1. & offi-  
cium resipiscientiæ tum per publicam concionem inculca-  
ret, §. 2. tum per vitæ rationem in victu & amictu præfi-  
guraret, §. 4. atque per baptismum obsignaret §. 5. Popu-  
lus autem Judaicus itemque Pharisæi & Sadducæi, quo-  
niā communis opinio ferebat Regnum cœlorum prope  
esse, baptismum hunc turmatim frequentarent quidem,  
sed interim magis externo ritui inhærerent quam respi-  
cientiæ veræ studerent, idque ex superba illa carnalis præ-  
rogatiæ præsumptione; Joannes ille actiter eos repre-  
hendit §. 7. omnem ipsi in carnalibus gloriandi materi-  
am adimit §. 9. contra judicium imminens omnibus hy-  
pocritis comminatur, §. 10. idque, ne hærerent in exter-

no

31.

no ritu , per ipsum illum baptismum suum significari innuit, quem in finem docet veram rationem sui baptismi, ¶. ii. simul autem quæ ratio baptismi Christi per suum illum præfigurati, quem utpote se longe præstantiorem non externum signum, sed rem designatam collaturum, adeoque Spiritu S. & igne baptizaturum docet ¶. ii. atque ¶. 12. similitudine ventilabro aream purgantis illustrat, exponit, adstringit: Adeo ut hisce verbis versus ii. veram rationem, qua Christus purgatus sit Ecclesiam opposite ad externum baptismi ritum eum in finem describat, ut carnales istos Judæos externis ritibus fascinatos ad rei spiritualis significatae considerationem & veram hinc resipientiam excitaret : quod ut clarius intelligamus, Textum huncce meditationibus nostris subjiciemus, idque hoc ordine ut I. quid baptismus ille Spiritus & ignis sit , inquiramus, II. quomodo eo baptizati sint Judæi dispiciamus.

30.

2

32.

33.

34.

35.

36.

I V. Quis baptismus ille sit, ad quem considerantur. Quis baptismum Judæos occasione sui baptismi invitabat, ut felicius ostenderet, primò excellentiam Baptizantis describit, scilicet illum, qui post se venturus & Spiritu ac potentia se fore robustiorem, & in immensum digniorem, unde terquatur, & illius baptismum fore excellentiorem scilicet quod Sp. S. sit baptizatus & igne.

37.

V. Baptizare secundum vim vocis βαπτίζειν notat immersionem, per quam cum à Fordibus corporis ablauamur βαπτίσμος notat ablutionem. Quæ vocis significatio ab antiquissimis jam temporibus adhibita est ad usum sacram, ita ut notet in S. Script. in genere sanctificationem & ablutionem reatus ac corruptionis. Ritus autem baptizandi apud gentes etiam antiquissimas & profanas jam obtinuit, ut qui initiari vellent, prius toto corpore abluerentur, haud dubie eo ipso testantes propositum innocentie,

Quid baptizare.

tia, nam ejus propositi sponsonem My stagogi exigeant.  
 Hinc Justinus in Apologetico : τέλεον δέ καὶ λειτουργίαν απονομάς πελ-  
 ἀγονθησθε τούτη εἰς τὸν θεόν τούτην την πατέρα γένεσιν. Sic in familiā Sancta idem  
 hic ritus olim iam obtinuisse videtur. Nam cum Jacob Pa-  
 triarcha rediens ex Mesopotamia filios totamque idolo-  
 rum cultu pollutam videret familiā, p. d. lavando pur-  
 gavit, id enim vox רחם videtur innuere. Gen 35 2. Impr-  
 imis Judæis frequentissimus hic fuit ritus in fœderibus pan-  
 gendis, hinc Israelitæ cum fœdus illud Sinaiticum cum  
 Deo inire vellent, vestes suas baptizasse dicuntur Exod.  
 19. 24. postmodum quoties quocunque modo quis fœdus  
 hoc Dei violavit, ac de novo in illud recipi voluit, is præ-  
 ter pœnitentiam ex lege ceremoniali baptizari quoque te-  
 nebatur, unde tot diversæque in legelotiones injungeban-  
 tur. Eadem fuit ratio cur gentiles qui ad Judaismum tran-  
 sire vellent, baptizari debebant, quin & proselyti portæ  
 qui jure saltem civitatis frui volebant, licet non circum-  
 cidi, baptizari tamen cogebantur, ut h. m. ab idolorum  
 cultu recedere se ostenderent, sed & nunc, qui ex Gentil-  
 bus circumcisus, Ismaelitis, Persis, Turcis ad Judaismum  
 accedunt, ab iis baptizantur. Unde hunc ritum qui pe-  
 rigrinos, non circumcisos tantum, obligabat ad leges na-  
 turæ servandas Hugo Grotius inter vetera instituta, orta post  
 magnum diluvium in memoriam purgati mundi nume-  
 rat, & hinc celebre illud Græcorum putat ortum : θελασσα  
 καύγει πάντα τὸνθράσπατων παρά. Communem hunc Judæis ba-  
 ptizandi ritum imitatus Johannes dum Judæos ad se ve-  
 nientes baptizavit in resipiscientiam, quo eorum imprimis  
 indicare voluit impuritatem, quare totum vitæ genus  
 mutare deberent, si in Christo salutem vellent consequi.  
 Josephus ut hunc Johannis Baptismum discerneret à Gen-  
 tilium lustrationibus, qui aqua marina aut etiam vivo flu-  
 mine

mine culpas ipsas elui animasque purgari delictorum conscientia existimabantur, de quibus poëta:

O Nimirum faciles qui tristia crimina cœdis

Tolli fluminea posse putatis aqua.

Ait: illo auctore mentibus primum purgatis, usurpatam deinde aquam, quæ corpora ablueret. Baptizavit enim tanquam prodromus Christi in remissionem peccatorum per CHRISTVM futuram. Et hoc patet etiam ex eo quod Pharisæos & Sadduceos qui in externo tantum ritu acquiescebant reprehenderet, & judicium Christi ipsis præsens indicaret, quando eos de Christi officio instrueret, dicens: Ille vos baptizabit, Christo baptizandi jus vindicans; Et illi quidem competit baptismus, quatenus ipse eundem instituit ut Primum Novi Testamenti Sacramentum, quo externo baptismi corporis signo regeneratio in communione mortis & vitæ adeoque mortificatio veteris & vivificatio Novi hominis, & ita jus ad beneficia Christi, ipsis fidelibus significatur & obsignatur. Id quod verbis institutionis indigatavit, dicens: Βαπτίζεσθε τὸ ὄνομα τὸ πατέρος, τῷ τῷ ψεῦτῃ καὶ τῷ αἵρετῳ πνεύματι. Matth. 28-19. Cujus Sacramenti ritum mersatione non autem perfusione agi solitum indicat non tantum vocis significatio & loca ad eum ritum delecta. Joh. 323. Act. 8. 38. sed & allusiones Apostolorum, quæ ad aspersionem referri non possunt, Rom. 6. 3. 4. Col. 2. 12. Postmodum autem ritus aspersionis in certis tantum casibus obtinuit. vid. Epistolam Cypriani ad Magnum. Et hunc baptismum antitypum Petrus expressis verbis vocat diluvii, i. Petr. 3. 21. non quidem acsi diluvium abolute denotârit baptismum, quia Sacramentorum proprie nullus est typus, sed quia diluvium eandem cum baptismo denotavit rem sacram.

## VI. Licet autem Christus nunquam legatur bapti-

**Quomodo** **Christus ba-**  
**ptizet.** zâsse lavacri externi titu , baptizate tamen dicitur , quia officium ejus est rem ipsam conferre , quat . & quemvis fidelem purgat à labi , & Ecclesiam ab improbus , idque tanquam Sponsor me ito , & tanquam Rex sua efficacia . Ipse enim cum vi æternæ sponsionis & sacrificii verè expiatorii pro peccatis in proprio corpore oblati Rex constitutus sit totius mundi , utiq; & Ecclesiam administrare & totum mundum gubernare ipsi competit , quam potestatem exercet , dum & Electis sua beneficia applicat , & unicuique rettibuit secundum opera sua , eos nempe qui in viis justitiae ambulant , ad metam salutis perducit , qui autem in omnis generis devia abeunt , male affligit . Illud autem non immediate sed mediate per Spiritum S. efficit , & hoc quidem diversimode : modo per internam ejus operationem modo externè per varias afflictiones , miserias , pœnas ac cruciatus , quæ etiam ratio est cur Baptista in textu nostro officium Christi per baptizare describit , illudque fieri dicit per Spiritum S. & ignem .

**Quid Spiritus.** VII. *Spiritus secundum vim vocum Πνεύμα* notat halitum , flatum , ventum , qui motu suo efficaci ac vehementi alii sese immiscet corporibus , eaque commovendo purgat , ex quo metaphorâ desumptâ *Mentem* notar , cuius tota essentia consistit in actuositate : Unde in plena emphasi soli Deo tribuitur , qui ut perfectissimus & purissimus sic ab omni extensione ac corruptione alienus & maxime operosus , hinc absolute vocatur *Spiritus* Joh. 4. qui operatione efficaci ubique præsens est . Hujus essentiæ Spiritualis cum Deus quandam in creaturis expresserit imaginem , hinc & ipsæ in S. Script. hac denominatione veniunt . *Angeli* quidem , quorum tota essentia est Spiritualis , Psal. 104. 4. Zach. 6. 5. Hebr. 1. 7. *Animæ* autem hominum , quæ

quæ quidem in se æque sunt Spirituales ac Angeli , sed prout in creatione , quando Deus halitum vitæ corpori insufflavit Gen.2.7. ita & porrò in generatione , corpori junctæ . Quare & ipsæ spiritus vocantur Pl.31.6. Ps.146. Ezech.11.5. Matth.27.50. Luc.10.21. Imprimis in opere gratiæ homin regenitus & fidelis vocatur spiritus . Joh.3.6. vid. Joh.1.13: 1.Joh.3.9. & 2.Petr.1.4. Joh.8.44. Act.12.10. 1.Cor.6.17. Cum autem in hiis omnibus essentiæ spiritualis auctor sit & causa unica Deus , & in specie tertia Deitatis persona , cuius in opere gratiæ præcipuum est officium ex sententia Patris Judicis bona fœderalia à Christo parta fidelibus applicare ac conferre , totumque opus tum naturæ tum gratiæ perficere , hinc ipse impr. spiritus nomine venit , & ut à reliquis Deitatis personis atque à creaturis distinguatur , in S. Script. quandoque vocatur רוח אלהים רוח אֱלֹהִים Jel. 48.16. Jel. 61.1. רוח חכמה ורעת spiritus sapientiæ & intelligentiæ . Jel.11.2.3. πνεῦμα τὸν πνεύμα A Et.5.9 πνεῦμα θεός 1.Cor. 12.3. & quæ alia hinc inde ipsi tribuuntur nomina , imprimis autem quam læpissime nomine πνεῦματος αὐγῆς venit ; tum quia ipse in se sanctissimus est , ut cuius attributa , virtutes & opera maxime eum decent , & naturæ ejus conveniunt , tum quia impr. in opere gratiæ reliquas Deitatis personas sanctificat , patrem à quo mittitur , quat. ejus ceu judicis sententiam fidelibus intimat , filium per quem mittitur , quat. meritum ejus fidelibus applicat , hinc etiam in S. Script. non tantum consummatio operis creationis ipsi adscribitur , quando dicitur incubasse superficie aquarum Gen.1.2. sed præcipue in opere gratiæ in Electis eidem tribuitur illuminatio Joh.14.26. Regeneratio Joh.3.5. Iustificatio 2.Cor.6.11. Resuscitatio Rom.8.11. glorificatio Eph.4.30. In mundo autem judicium exercet , mundum judicando de peccato , de iustitia & judicio Joh.16.8. disceptando cum hominibus Gen.6.3. ubi vox ἡγέρης

notat causa inquisita ac cognita sententiam pronunciare ac judicium exercere. Et hoc Sp. Sancti est officium, à patre enim & Filio propterea mittitur, ut fideles ducat in omnem veritatem, mundum autem reprehendat. Joh. 16.7.8.13. quare illi baptista jungit ignem.

*Quid ignis.*

VIII. *Ignis* est Elementum calidissimum, purissimum, quod propter puritatem ac claritatem quam habet, hominibus lucem praebet, & propter celerimum quem habet motum, vim habet calefaciendi ac purgandi. Unde metalla & impr. aurum atque argentum igne purgantur & explorantur; quin & omne id quod igne dicitur exploratum, purum judicatur. Prout dicta Jehovæ propter puritatem vocantur *argentum purgatum in catino lectissimæ terre, defæcum septies.* Pt. 12.7. & *fides pretiosior auro igne purgato.* i. Petr. 1.7. Propter hanc suam naturam egregium nobis exhibet cognitionis, sanctitatis & letitia spiritualis symbolum; Cognitione enim absque illuminatione nulla est, sic sanctum demum id vocatur, quod purum, justum & ita nullo modo corruptum, unde letitia oritur & acquiescentia, qui enim nullius peccati ac defectus conscientia sibi est, is utique letatur ac in statu suo acquiescit. Hæc autem attributa cum necessario requirant subjectum cui insint, & hoc prout modus quo insunt diversus, ipsum etiam diversum sit, hinc S. Script. hoc ipso ignis symbolo quandoque ipsum Deum adumbrat, quat. ipse non tantum in se hæc attributa perfectissime possidet, cum sit omniscius, sapientissimus, sanctissimus qui in virtutibus suis summe acquiescit & letatur, sed etiam omnem cognitionem sanctitatem ac letitiam Spiritualem in creaturis operatur, hinc oculi ejus sunt flamma ignis Apoc. 1.14. Is solus sanctus dicitur Apoc. 15.4. cui etiam angeli velato vultu acclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova Zebaoth.* Jes. 6.4. propterea etiam קָדוֹם benedictus Gen. 9.26. Ille beatus

¶

Et solus Princeps, Rex Regum, & dominus dominantium vocatur.  
 1. Tim. 6. 15. sed & propter justitiam Dei, ejus vindictam,  
 quam in peccatores exercet S. Script. compellat iram eam  
 que cum igne comparat exeunte à Deo & urente ita ut ne-  
 mo extinguere possit, donec omnia consumserit. Jer. 21. 12.  
 14. Hinc Christus dicit: Omne (omnes dam nati qui morti  
 æternæ addicti sunt) debet saliri igne (præparabuntur ad i-  
 ram Dei in æternum sustinendam) Marc. 9. 49. Cognitio-  
 nis autem, sanctitatis & beatitudinis in homine author ipse  
 est, tum quat. hominem creavit ad imaginem suam, quæ  
 consistit in justitia & sancto amore veritatis Eph. 4. 24. tum  
 præprimis quat. in operæ gratiæ peccatoribus tene demon-  
 stratut ignem, quosdam pro lubitū illuminando, à peccatis,  
 corruptione ac reatu purgando ac in æternum beando, a-  
 lios vero servando ad diem judicii, quare etiam ignis consu-  
 mens vocatur Hebr. 12. 29. Hoc opus gratiæ licet toti S. S.  
 Trinitati competat, Christus tamen quia vi operis Mediato-  
 rii Rex constitutus est & Dominus totius mundi, qui factus  
 fidelibus sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio 1. Cor.  
 1. 30. Impiis autem lapis offensionis, laqueus & tendicula  
 Jes. 8. 14. justus judex, qui unumquemque judicat secundum  
 opera sua, in specie igni jure meritoque comparari potest.  
 Hinc toties in V. T. in igne apparuit, ut Mosi in rubo arden-  
 te Exod. 3. 2. Israelitas postmodum per desertum duxit in  
 columna nubis & ignis Exod. 13. 21. Imprimis in legislatione  
 in igne de cœlo in montem Sinai descendit, legemque de-  
 dit, regulam & normam vitæ & morum: Unde etiam ipsa  
 Lex immò tota S. Script. divinitus inspirata ista ignis compella-  
 tione venire potest. Maximè quia intellectum illuminat, at-  
 que de voluntate Dei nostroque officio plenissime nos in-  
 struit, quando legem fidei unicum salutis in solo Christo ob-  
 tinendæ medium clarissime monstrat, simul etiam gra-  
 viissi-

vissimas infidelibus intimat pœnas, ita ut ex ea & secundum  
 eam uniuscujusque opus judicetur, quod si bonum fuerit,  
 ejus mercedem feret, si malum peribit. Quare etiam *ignis*  
 vocatur. Uti Christus apud Prophetam ait: *Nonne verbum  
 meum est ut ignis, & ut malleus efficiens ut dissipat petra.* Jer. 23.  
 29. propter hos verbi Dei effectus revera est odor vitæ ad  
 vitam, iis qui salvantur, qui autem pereunt, iis est odor mor-  
 tis ad mortem. Cor. 2. 15. 16. iis enim qui Deum rejiciunt  
 & Dominum abnegant implentur: *Ecce conversurus sum  
 verbum meum velut ignem, vos autem ligna, que ille ignis conſu-  
 mat.* Jer. 5. 14. cum è contra fidelibus sit lucerna lucens in  
 obscuro loco, donec dies illucescat & Phosphorus oriatur.  
 2. Petr. 1. 19. quandoquidem autem afflictiones, quæ fideles  
 manent variæ. Pet. 2. 21. Matth. 5. 10. eundem effectum ha-  
 bent, hinc jure meritoque in S. Script. *ignis* denominatione  
 veniunt. Quare Christus præter alia persecutions quæ di-  
 scipuli propter nomen ejus debebant perpeti annuncians,  
 veni, inquit, ut *ignem* accendam in mundo Luc. 12. 49. non  
 quidem acsi propterea venerit, ut male afficeret electos, sed  
 ut Evangelium annunciat, atque in eo gratiam suam  
 hominibus offerret, quod quemadmodum fidelibus ad sa-  
 lutem in ipso Christo, ita infidelibus ad mortem & æter-  
 nam condemnationem conductit, est enim ipsis lapis offen-  
 sionis, & occasio Ecclesiam Christi persequendi, nam quia  
 odio habent lucem, hinc eos qui in luce ambulant & Chri-  
 stum profitentur, opprimere student, sibique socios malo-  
 rum querunt, quo ipso conscientiam tranquillam reddere  
 se posse putant; quod quando blanditiis, heresibus atque in-  
 fidelibus quas undique struunt, efficere non possunt, aperto  
 marte eosdem persequuntur; Eo autem ipso hominum ex-  
 plorantur animi, & quinam sint veri fideles, quinam vero  
 hypocritæ manifestum redditur. Qui enim propter Chri-  
 stum

stum omnes persecutio[n]es & miseras sustinent , illi fidem radicatam demonstrant , qui propter Christum mundum omnesque ejus thesauros relinquunt , eo ipso se amorem Christi iis præferre atque in solo Christo acquiescere se factentur 1.Pet. 1. 7. Qui vero in ipsis miseriis à Deo deficiunt, illi re ipsa declarant , se veram fidem nunquam habuisse. Matth.13.21. Quin & in afflictionibus fideles excitantur ad consolationem apud Deum quærendum , atque de verbo Dei meditantur ac in eo delestantur. Pla. 119.71. imo in ipsis miseriis maximam sentiunt Spir.S. consolationem ex verbo Dei, Ps 119.92. hinc fidei explorationem multo pretiosiorem fore in temptationibus exploratione auri per ignem explorati, prædicat Petrus 1. Epist. 1. 6. 7. unde Menander.

Χρυσὸς μέλισσαν ἐξελέγχειν περι

Ἡ τοῦ φίλας δένυοια καὶ εἴηται Ovidius:

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,

Tempore sic duro est experiunda fides.

Unde patet persecutio[n]es optime posse vocari ignis , quo purgantur, sanctificantur, atque à mundo separantur: cum autem ignis natura sit etiam id, quod impurum, consumere & destruere, & Deus propter justitiam suam peccatores punire aliter non possit, quam eos destruendo ac perdendo demonstrare se esse summum Dominum & summum Bonum, hinc ejus ira & vindicta itidem S. Script. ista ignis compellatione venit. Inde est quod in sanctione legis Moles Deum vocet ignem conlumentem & fortem zelotem. Deut. 4.24. Hebr. 12.29. quin etiam pœnæ infernales, quibus Deus peccatores afficit, vocantur ignis æternus, qui non extinguitur, & vermis qui non moritur. Marc. 9.34. Jes. 66.24. Ex quibus omnibus patet ignem in genere denotare omne quod in se purum est, & vim purgandi, dum quod impurum est consumit, habet, quo generali significatu h. 1. venire, ex v. 10. & 11. manifestum sit.

B 3

At-

Quomodo  
conveniantur.

**IX.** Atque sic *ignis* jungitur *spiritui*, vel ut exponatur, quomodo Sp. S. operetur scil. ut *ignis*, vel ut ostendatur *Spiritus operationi* *judicia* *Dei* *juncta* esse. Postumus enim *ignem* heic *ignem* capere, ut *modum* quo Spir. S. operatur, exprimat: Siquidem non tantum sub hoc sy mbole apparuit Act. 2. sed & ceu *ignis* purgatorius operatur tum in *electis* tum in reprobis. In *electis* quidem, quatenus illos regenerat Joh. 3.5. omnia docet Joh. 14.26. in omnem veritatem dicit Joh. 16.13. abluit, sanctificat, justificat 1. Cor. 6.10. & hoc modo omnem ab ipsis separat corruptionem, malitiam, omnesque concupiscentias, contra autem sensum amoris Dei cordibus eorum infundit, unde *lætitia* & *gaudium* oritur in Spir. S. In reprobis autem, quando *ceu Spiritus judicii* & *sublationis* *excrementum* *filiarum* *zionis* & *cædes* *Hierosolymorum* aufert è medio. Jes. 4.3. Mal. 3.3. Interim tamen etiam ita distingui possunt, ut *spiritus* notet operationem salutarem & efficacem in fidelibus, *ignis* autem afflictiones & crucem quam Christum sequentes portare debent; prout illæ expresse baptismus *ignis* vocantur. Matth. 20.23. respectu infidelium autem gravissimas pœnas & *judicia* propter peccata ipsis imminentia. Unde dicere licet, quod *ignis* fuerit symbolum *judiciorum* *divinorum* in Judæos obduratos, ut sensus sit: Christus baptizabit Judæos igne, i.e. *judicio*, fideles autem Sp. S. à malis & improbis separabit, quod confirmatur ex v. 10.12. Atque & sic optimè junguntur *spiritus* & *ignis*, quando enim *Electi* ceu triticum in horrea colliguntur, simul improbi in *ignem* conjiciuntur Matt. 3.12. Matt. 13. Quicquid sit sive ad idem subjectum referantur, sive ad diversum, certum tamen manet, Baptistam iis verbis efficacem Christi operationem indigitare, quâ tum singulos fideles à corruptione adhærente, ignorantia, præjudiciis, erroribus, concupiscentiis pravis, tum totam Ecclesiam ab impiis & hypocritis separabit.

31.  
30.  
2  
31.  
31.

bit, & hos malè perdet, id quod patet ex anteced. ¶ 10. &  
sequente ¶ 12.

X. Commodissime autem hoc Baptista exprimit per baptizare in Sp. S. & igne, cum enim particula est notet quic-  
tem in loco, hoc baptizare in Spiritu & igne notat (1) inti-  
mam communionem, & quasi immersionem, unde (2)  
quemadmodum aqua baptismi sordes abluit & suffocando  
consumit, sic spiritus & ignis à lordinibus purgant & impu-  
rum conlumunt, quare & passim Spiritus aquæ comparatur  
& ignis lixivio fullonum jungitur Mal. 3.3. Hac autem phrasí  
utitur (3) ut à baptismo externo ad veram significationem  
baptismi duceret, notabat enim ut supra visum, baptis-  
mus Johannis hanc ipsam purgationem Ecclesię. Quare  
(4) spiritum & ignem opponit aquæ propter veram vim & effi-  
caciā quam habet baptismus Christi opposite ad baptis-  
mum Johannis.

XI. Atque hoc modo Christus baptizat tum singu-  
los Electos tum totam Ecclesiam (a) Electos singulos quat. (1) cor-  
novum ipsis creat immediate ita ut quod antea erat οὐκέτι  
nunc fiat πνευματικόν, & tantum cœlestia lapiat, id quod et-  
iam ignis adumbrat, dum agilitate sua corporibus aliis sele  
insinuat (2) Facultates porrò mentis flectit ac dirigit vel im-  
mediate illuminando & sanctificando vel mediate conve-  
nienter cordi regenito eas dirigendo. (3) Corporis tem-  
peramentum, affectus, omniaque membra ita disponit, ut o-  
perentur convenienter οἰκονόμως πνευματικό. (4) Fidem de-  
nique variis persecutionibus & afflictionibus probat 1. Petr.  
1. (b) Totam Ecclesiam, dum ab erroribus & vitiis eam pur-  
gat, idque vel per dona singularia Sp. S. quibus cognitio &  
sanctitas augētur, vel per persecutiones quibus hypocritæ &  
impii separantur. Matth. 3. quos ita separatos in ignem con-  
jicit & tenebras Matth. 3.12. Matth. 8. 12, & tanquam zizania  
com-

Quid bapti-  
zare Sp. S. &  
igne.

Sic Christus  
baptizat or-  
dinatio.

comburit Matth. 13. 30. quod fit, quat. cor eorum obdurat, unde sensus conscientiae suffocatur, ut oculis videre & auribus audire, ne quidem possint quid ad salutem eorum faciat; Aliquando conscientiam ipsis excitat, ut eos perpetuo accuseret, condemnaret ac cruciet; Denique externe etiam varia in eos exercet judicia, quibus de peccato eos convincit, usque dum in consummatione seculorum aeternis poenis ac cruciatibus quoad corpus & animam tradet, quo modo igne salientur Marc. 9. 49.

Subdiversis  
economis.

XII. Hoc autem licet sub omni statu, conditione atq; tempore obtineat, pro diversitate tamen foederis gratiae aenomiarum statuum ac conditionum hominum diversimode etiam Christus hunc baptismum administrat. Sub V. enim T. ubi propter justitiam nondum perfecte exhibitam & principem salutis nondum consummatum, populus adhuc erat carnalis, Ecclesia certo loco, certis ritibus ac ceremoniis adstricta, bona foederalia ut plurimum adhuc carnalia & typis involuta, etiam hic baptizandi modus adhuc erat accommodatus ad istam economiam, ita ut cum gratia sentire adhuc deberent iram Dei nondum plene sublatam, hinc magis adhuc, si totum populum spectes, erat externus & typicus, quat. nimis per baptismum a gentibus separabantur, per lotiones varias a peccatis purgabantur. Internè autem Sp. S. in pluribus ad Ecclesiam Judæorum tamen pertinentibus, plane non, in fidelibus autem parce operabatur, hinc etiam Sp. S. nequidem eo tempore fuisse dicitur, quia Christus nondum erat glorificatus. Joh. 7. 39. sub N. autem Testam. postquam Christus actu pro peccatis satisfecit, & sacrificio verè expiatorio in se ipso oblato, suum sanguinem in S. Sanctorum in ipsum cœlum intulit, tum demum cœpit implere id, quod Baptista in textu nostro prædictit; Ab eo enim tempore Sp. S. Ecclesiam longè excellentiori

ri

ri quam sub V. T. modo illuminat, sanctificatac inhabitat; ita cum in V. T. esset Spiritus servitutis ad metum, nunc sit Sp. filiationis, libertatis, lætitiae, qui in fidelibus cultum operatur verum, qui est in Spiritu & veritate, naturæque Dei convenientissimus.

XIII. Præter ordinarium hunc cuicunque Oeconomiaꝝ accommodatum baptismum, insigni læpius atque extraordinario modo Judicia in mundo exercuit. Quando Ecclesiam V. T. peccato adhuc in mundo existente variis atque convenientissimis indoli humanæ remediis baptizavit, editis nimirum tum severitatis horrendæ in diluvio, confusione linguarum, eversione Sodomæ & Gomorrhæ, Gentium abjectione & nonnullarum extirpatione, regnum denique potentissimorum deletione; tum beneficentia singularis in populi Israelitici electione, exornatione, institutione, cura, promotione, & quanquam interpositis bono ipsius castigationibus etiam gravissimis, velut ex inferis excitatione & adlumma & splendidissima quæque præter spem ac vota omnium expectatione & benedictione omnimoda, exemplis in omne ævum illustrissimis, hominique peccatori quantumvis obstinato, emolliendo & ad meliorem mentem reducendo aptissimis, ingenium humanum probavit ac de *cœlo* circumspectavit. Ps 14. 2. Ecclesiam etiam N. T. variis persecutionibus ac miseriis regenerat & ab impiis purgat; quare etiam easdem Christus baptismum vocat. Matt. 20. 23.

XIV. Imprimis autem Christus cum in carnem veniret atque opus redemptionis consummaret baptizare debuit Judæos tum infideles, tum etiam fideles, siquidem illud prædictum est Jes. 61. 2. Jes. 8. 14. Jes. 28. 16. Zach. 13. 9. Joel. 2. 1. 2. ubi dies adventus ejus dies vocatur tenebricos, quem præcedit ignis consumens, & flamma ardens se-

Aliquando  
extraordina-  
tiæ.

Sic Iudeos,  
quod prædi-  
ctum.

quitur vers. 3 & Mal. 3. 2. dies adventus ejus intolerabilis dicitur, quia ipse est ut ignis conflagatoris & ut smegma fullonum, qui filios Levi purgabit ut aurum & argentum vers. 3. qui dies ardens ut fornax, omnis superbos ac facientes improbitatem ut stipulas inflammabit Mal. 4. 1. qui autem nomen Dei timent illic orietur Sol justitia & salus sub aliis ejus. vers. 2. Hinc baptista dicit in textu nostro: ὁμᾶς βαπτίσει, Judæos nempe infideles à fidelibus separando ac destruendo, fideles autem purgando & sanctificando.

*Et in adventu  
Christi imple-  
tum.*

XV. Quod autem ita prædictum, id impletum est (1) in Christi adventu, ejusque circumstantijs. Ipsa enim incarnatione sua lætitiam in cordibus fidelium excitavit, cum eo ipso acceperint quem tantis suspiriis desiderarunt, infidelibus autem terrorem injectit, quia venit adjudicandum mundum. Ipsa autem nativitate, circumcisio ne, baptismo, doctrinis salutaribus, miraculis, statu per totam vitam humili ac servili, passione ac morte, denique resurrectione & ascensione factus est lapis lydius, ignis purgatorius, per quem cogitationes multorum & qui crederent Mosi & Prophetis, & qui non crederent erant manifestandæ. Jel. 28. 16. Ezech 21. 18. Iis enim omnibus verè fideles non tantum exploravit, à lege Ceremoniali liberavit, ac in libertatem N. T. constituit, sed & Spir. S. ipsis promeruit, quem propterea (2) post suam in cœlum ascensionem die Pentecostes plenissimè in Ecclesiam effudit; qua effusione ut Baptismo Spirituali eandem inauguravit ac fundavit, unde & hanc Baptista videtur indigitare, in textu nostro baptismum hunc adhuc futurum verbo βαπτίσει exprimens; quod ipse Christus & Apostoli, hæc verba Baptista expresse ad Sp. S. effusionem referentes confirmant. Act. 1. 5. & 11. 26. & 19. 4. 5. Impenitentes autem Iudaos, ut post verbum Dei in se manens non habentes, ac propterea

Chri-

Christum tanquam seductorem populi crucifigentes, Ecclesiam ab ipsis separando, publicè impuros declaravit, ac denique (3) evertendo ac destruendo in famosissimo Hierosolimorum Excidio totam eorum politiam ac Rempublicam secundum Jer. 52. 13; Deut. 32. 22 - 27. Amos 1. & 2. Zeph. 1. 18. Hebr. 6. 8. & hanc ipsam Baptistæ in textu nostro Prophetias ut *baptismo ignis* quam efficacissime baptizavit.

XVI. Atque sic idem Ecclesiæ primitivæ N.T. ob-<sup>Uti olim pre-</sup>  
tigisse videmus quod olim Israelitis transeuntibus per ma-<sup>figuratum.</sup>  
rerubrum, qui eodem modo per mare & nubem baptizati  
sunt, i. Cor. 10. 2. idque in typum ut Paulus, innuit vers. 6. &  
res ipsa docet. Siquidem ibidem columna nubis & ignis  
idem id præstabat, quod sub N. T. Spiritus Sanctus, impri-  
mis in transitu per mare rubrum hic baptismus nubis con-  
spiciendum sele præbet, quod etiam Apostolus in specie re-  
spicit i. Cor. 10. 2. Quin & in circumstantiis optima obser-  
vari potest convenientia. Author enim (1) stius baptissi-  
mi est Jehova, Messias qui eo ipso oculo conspiciendus ap-  
paruit in medio populi Num. 14. 14. qui & hujus baptismi  
Spiritualis author est. (2) populus qui baptizabatur, erat po-  
pulus Irael, in quo solo Ecclesia V. T. constiterat, exclusis  
omnibus Gentibus, quare etiam typum gerebat Ecclesia N.  
T. quæ est genus electum, &c. i. Petr. 2. 9. (3) Ille baptismus  
erat nubis & ignis, nubes autem, quia umbram præbet atque  
ab æstu Solis nos tuerit, symbolum est Christi, qui vi meriti  
per Spiritum S. iram Dei cohibet & impedit, ne nobis no-  
ceat, nos autem sub umbra alarum luarum tuerit atque  
conservat. Ignis Israelitas illuminabat, viamque qua ire de-  
berent, prout nubes de die, sic ignis de nocte common-  
strabat, hostes ne ipsis nocerent, detinebat, ac distinctio-  
nem inter eos & hostes faciebat. Ita in hoc Christi ba-

G 2

ptif

ptismo Spiritus Sanctus in Apostolos demissus eos illuminavit, dum mirum in modum eos instruxit, ut linguis etiam peregrinis magnalia Dei prædicarent, quare & interna hæc illuminatio externo signo *linguarum ignitarum* designabatur A&t 2. Imprimis vi hujus *nubis*, ejusque ductu Israelitæ transierunt mare rubrum ac delertum in terram Canaan; Ita Ecclesia N. T. vi hujus Spiritus atque ejus auxilio persecutio[n]es Judæorum sustinuit ac per desertum Gentilium transit in quietem N. T. Id etiam (4) tempus quo hac nube Israelitæ baptizabantur indicat, statim enim ac agno Paschali in Ægypto maestato exierant, atque iter in Canaan aggressi fuerant, eum in finem id factum est, ut possent terram promissam intrare, hostesque suos vincere. Ita Spir. S. effundebatur in Ecclesiam N. T. postquam Christus verus Agnus Paschalis in Spirituali Ægypto esset maestatus, & sanguis ejus in cœlum delatus; postquam exierat Ecclesia ex Judaismo, vel potius ejecta esset, dum veri fideles facti sunt ~~στονταριζον~~, eum autem in finem Spir. S. effundebatur, ut Ecclesia hereditatem Gentium posset intrare, hostesque suos vincere, donec ultimo hoste, qui est mors, victo in cœlum ipsum deferatur. Uti (5) in illo mari, in quo baptizati Israelitæ Pharaon occubuit, & Israelitæ ab hostibus hæ ratione purgati, sic per hunc baptismum N. T. in Spiritu & igne periè Ægyptii Spirituales, carnales illi Judæi. (6) Singulare denique hoc Dei erat beneficium, quia Israelitæ h.m. publicè inaugurarunt & ad Fœdus Sinaiticum præparabantur, cujus vi tantis eos cumulavit beneficiis præter omne eorum meritum; Quare etiam toties in V. T. eos Prophetæ ut hanc gratiam agnoscant, ac propterea Deum celebrent, atque in ejus viis incedant, horrantur.

*Praxis.*

XVII. Quantò magis autem nobis incumbet benefi-

neficia, quæ Deus Ecclesiæ N. T. exhibuit, agnoscere atque gratum propterea in exercitio veræ sanctitatis & bonorum operum Deo præstare animum, cum eodem modo sub N. T. fœdus confirmayerit. Dan. 9. 27. & vera bona fœderalia ipsi concesserit, quorum typum sub V. T. habuerunt; maximè cum & nos in Ecclesia Christi esse ac Spir. S. & igne purgatorio baptizatos gloriemur. Ast quam pauci hujus baptismi participes sint, tristis experientia testatur, cum plures operibus impuris & peccaminosis se nondum purgatos, vel potius tanquam excrementa & scorias in hoc igne purgatorio ab Ecclesia esse separatos, actu demonstrent. Quin & ipsius Ecclesiæ impribus his nostris temporibus tanta lele prodit corruptio, tantus in vita sancta & studio bonorum operum tempor, ut tenebrae eandem obtexisse videantur. Id autem inde est, quod cum Judæis exterristantur plerique adhæreant ritibus & cultui carnali, in baptismo aquæ gloriantur, & probos Christianos esse se putent, quando aqua tincti sunt. Quare etiam cum tot diversisque modis, quibus Deus Ecclesiam hactenus baptizavit, yeros illa pœnitentiæ fructus ferre noluerit, adhuc hodienum eandem gravissimis temptationibus ac miseriis & actu baptizavit & in posterum baptizaturum luculentissimis signis & argumentis manifestat. Ne ergo qui hactenus per gratiam Dei servati sumus, in imminenti hocce persecutionum baptismo tanquam impuri ab igne purgatorio consumamur & in æternum pereamus, nostrum erit, omne id quod impurum nobis inhæret, à nobis separare, & Spiritui Sancto nobis lœse offerenti nequaquam resistere, verum avidissime recipere, ejusque ductum in omnibus lequi. Hoc facientes Deus non tantum judiciis, quæ mundo adhuc sunt obventura, magis magisque purgabit, verum etiā demum perfectissima

sima in vita futura coronabit sanctitatem ac laetitia. Quod & nobis cum omnibus qui adhuc sunt adducendi ad Ecclesiam, concedet Deus Ter Optimus Maximus, cui sit laus, honor & gloria in saeculorum saecula, Amen.

**E**cquid Parnassus, vitreo qui fonte superbit  
Mularum, insolitis flammis nunc evomit IGNES  
FLAMINE sufflato turbatus? Scilicet undas  
Jugera Castaliis dum BAPTIZATA VESEVI,  
Volvitur IGNIS edax suinma ad vestigia VENTO:  
CAROLE perge modo quo Te trahit entheus ardor,  
SPIRITUS intus agat cuius BAPTISMATE tinctus,  
Sic poteris temper VESU VESUVIUS esse.

*Auditori, amico ac Hospiti  
gratissimo*

P.  
PRÆSES.

*Ad Ornatissimum juvenem*  
**CAROLUM LUDOVICUM VESU,**

De

*Ignis & Spiritus Baptismo*

Egregie dissertantem:

**P**RISCA olim VESTÆ libabat Munera Terræ  
Ætas: Primitias, vina Falerna dabat,  
Menœ novo duri MARTIS de nomine dicto;  
Sed vanæ tantum pars pietatis erat.

**T**U URANIAM VESTAM colis: Hæc Tibi munera reddat  
Ut cordis Sacro luceat igne focus.

L. M. Q.

J. HENRICUS SCHRAMMIUS,  
Elog. & Ling. Græca Prof. Ord. & Pædagog.

Quæ

**Q**uæ tandem Ætherea Spirat Spiramina Velu !  
Spiritus ille Tuus, quæ flammea flamina mittit ?  
Ergo sacrum tollis fontem flamenque requiris,  
Sola salutiferi pariter Spiramina flatus ?  
Non facis: Ille Tuus jampridem Sacra lavacra ,  
Adstruxit doctus calamus ; Jam cetera pandit  
Conjungit flamen flammarum cum flumine Sacro :  
Quibus contractæ excedunt contagio labis.  
Ergo tu dignus longo Spiramine Vitæ.

Ornatissimo D. Authori amico optimo

P.

H. R. VESTER,  
LL. Stud.

**D**um frendens ATE ferrum meditatur & Ignem ,  
Tuba sonat flatu, resonant TARATANTARA col-  
les :

Tu Sacram tractas VESTAM ceu Virgo Sacerdos ,  
Æternum Calamo monstras cum Flamine & Ignem .  
Laus, decushinc surgunt: Hinc præmia larga parantur  
Gratulor ex animo toto optime Carole ! coeptis  
Visque vigorque Sacer Divini Numinis aura  
Cuuctis adspiret, Membra occupet atque pererret.

D. Autori hujus dissertationis, Viro  
Doctissimo, amico optimo hoc a-  
micitiae monumentum D. D. D.

**J**OH. LUDOVICUS WISKEMANNIUS,  
Budinga Wetteranus, LL. Stud.

**D**icitur Iohannes ad Petrum et Iulianum. **T**HEATRUM  
Tunc iudei quoniam non sunt. **A**UDIENS  
Tunc sicut nubes. **M**ECUM Vnde. **V**ideo spissitas  
Tunc quoniam Celsus monachus dicit. **A**men. **E**cclias  
Tunc quoniam Celsus monachus dicit. **E**cclias  
Celsus ex nomine Iacob obitum Celsus. **C**elias  
Iacob sacerdos fuit. **S**icut in libro Hebreorum  
Celsus sacerdos fuit. **H**ec enim sacerdos fuit.  
Ecclias sacerdos fuit. **E**cclias sacerdos fuit.

1. Neuhans de Fatis Adami.
2. Holtbus de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoc.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugenius de Concourse Dei.
6. Cauterius de Providentia Dei.
7. Holtbus de Providentia
8. Eiud de Lapsu primorum hominum.
9. Eiud de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Ussel de Decalogo.
12. Hasenius de tribus virtutibus necessariis.
13. Eiud Continuatio.
14. Hasencorius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Relig. Evangel.
16. Mieg de Gratiae div. operis.
17. Gablonzki de indulgentiis.
18. Zulffinger de Natura Studii Theatrici.
19. Holtbus de Paenitentia
20. Eiud de conversione.

penitius de gratuita Iustificacio.  
Kosheim Triga Observacionum  
Kosheim de paupertate mentis  
iuxd de operariis in vinea.  
Grochmeier de Baptismo Iesu.  
Cetera de gbo Sabactani.  
Grochmeier de Negotio Salutis circa infantes.  
Baier ad Locum Luc. 23.  
Lampe de Titulo Evangel. Iohannis.  
Linus de aqua baptismi.  
Iesu Christi de Encanis Iudeorum.  
Vener de Lege Mosis per angelos data.  
n Alphen de Historia Pauli Apostoli.  
Zerzen de Barnabae et.  
in Sanden de Deo pueritate Xtam ex mortuis.  
~~Vicent~~ Beermannii Analysis Cap. 9. ad haec.  
Baier ad Locum Mal. nos XII. 42.  
Lampe de Ecclesia et Apostolica.  
Venzki de Stella ex Jacob.  
Hottinger de Zeredictione Sacerdotali.  
Angst de Glorificati mysterio.  
au de Libamin in mensa Sacra.  
Hottinger de fertis iumentis.

49. Disf. de Lectione Legis Iohanni.

50. Elmerus ~~David~~ ad Reg: 18.

51. March 2 ad 2 Reg: 8. 10.

52.

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn862996422/phys\\_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862996422/phys_0032)


















the scale towards document

espositionem Elise, scribit Gaspar Sanctius; atque  
alianus, quid quæsō est mentiri, si hoc non est? quid  
rum ad peccandum, si Hazaelem Propheta non  
endum omnino est, quædam adeo conquisita  
heic reperiri, ut attendentibus nullo modo pla-  
ceret queant. Quale quid est, quod ex Farthio  
Lyranus, dictum hoc esse de Chazaele, vivens  
is post eum; sed quod & ipse monuit esse expo-  
extioriam. Ut revera est, quando hæc verba,  
non dicuntur ab Elisa ad Chazaelem, sed præ-  
dicta à Chazaelem ad Benhadadum per illud præ-  
dic illi &c. Quod si autem volueris, hoc po-  
um dici victorum in suo successore Chazaele,  
facies obscurum & vere ludicum verborum ho-  
prosuls alienum à rogatione instituta quæ spe-  
lardi ægri personalem vitam ac sanitatem. Quale  
t, quod tertio loco reperio apud Doct. Marty-  
rde occurrit interpretatio, qua statuitur, Eliseum  
ris, veram de æterna ac beata quam exspectamus  
respondisse. Eamque promisisse arbitrantur Vatem  
fuerit ad verum Deum Jehovam ex animo con-  
x ea probant, quod non idola consulerit, sed quem-  
a tradit, ipsum Jehovam, deinde ministerio Viri  
id id, non Pseudoprophetarum. Ut perinde hoc  
v. Pellicanus; Eliseus remandat regi, que illum  
consolari, fortassis jam conversum ad veri Dei ti-  
n, quem à Propheta sancto cupit illi propitium fieri.  
futura requirit, non a suis idolis nec auruspiciis, sed  
us sepe magnalia audierat, & cuius Deum fuerat  
is & à Nhaman instructus in fide veri Dei. Ideo nunc  
urum, hoc est, in fidelium animarum consortium per-  
niss Propheta intelligebat, hoc denique regi summo-  
erat. Tamen ipsi Asaeli significat moriturum re-  
ipse locum sit instituendus; non quidem addens,  
urum esset, sed suo tempore. Qui tamen deinde  
asi horum oblitus dicit, per morbum diutius vi-  
ndum Propheta dictum. Adversus istam leniten-  
de disputavit Martyr; Ceterum, non est veri-